



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. LII. Sancta in Deo rogando industria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

*Sancta in DEO rogando industria.*

**V**T autem tam in oratione, quam in aliis per diem functionibus animum in DEO magis fixum teneret, invenit P. Paulus piam aliam & pulchram rationem, dignam certè, quam sequendam sibi decernat, quisquis ad arctius cum DEO commercium aspirat. Ita scribit ad Amicum suum. Placet communicare tecum usum quempiam, quem nuper admodum legi in Osorio tenuisse S. Augustinum in agendo cum Christo JESU Servatore; uno die hebdomadæ sub una, altero sub altera persona, ut nunc tibi exponam, sed ea ratione, quâ ego distinctius rem pro meo commodo sum partitus: Die Lunæ tractando cum illo, tanquam cum Judice; die Martis tanquam cum Rege, die Mercurij tanquam cum Medico; die Jovis tanquam cum Sponso; die Veneris velut cum Redemptore, ad restaurandam Passionis ejus memoriam, die Sabbati, velut cum Fratre, qui titulus Beatissimæ etiam Matris ejus recordationem suggeret; & tandem die Dominica, tanquam cum Glorificatore, qui titulus præterea beatitatis cælestis cogitationem excitabit. Puto rem ita bellè succedere, si dictis diebus agamus cum ipso in oratione sub singulis indicatis titulis, dum commendat se illi quisque nunc ut reum, nunc ut subditum, nunc ut ægrum, ab eoque petit gratias his personis respondentes, & voluntatem ad sensa etiam respondentia inflammando: perfacile etiam est, hac ratione interdiu mentem cum DEO conjunctam retinere.